

uterat in ejus gratiam ab *Adamo Thilone*, collega ipsius, viro Mathematicarum rerum admodum perito, descripta. II. *Commentarium Chronographicum*. III. *Commentarium Prosopographicum*. IV. *Glossarium Tataricarum vocum*. V. *Observata Physica*, præter ea, quæ sint VI. in *Commentario Miscellaneorum* apparitura. At, quod ipse in dedicatione *Hebdomadis Observationum* scripsit ad *Somnium*; lucem illa forte nunquam visura; in hæctenus vates verus fuit. Confecit etiam *Grammaticam Harmonicam linguarum Orientalium*: haud plus quam sedecim præceptis constantem. Sed editam esse dubito. Quemadmodum & librum ejus de *Præadamitis* contra *Isaacum Peyrerium*: & quam *Entellum* appellavit, *Disquisitionem, utrum in lingua Ebraica extet vox cujus sensus conveniat cum latina voce, SIGNIFICAT?* Plurimas quoque habuisse eundem narrant, qui viderunt, *Inscriptiones Tataricas, Turcicas, Sinicas, Persicas*, atque etiam *vetustas Germanicas*; ad rem historicam spectantes: quarum fata post ejus obitum ignoramus. Ipse ad ea, quæ editioni se parata habere ait, retulit anno 1685.

I. *Lexicon Mandarinicum*, quod e *Tonis VIII.* in *Fol.* contrahi in compendium possit.

II. *Præstantissimæ ac pretiosissimæ Radicis* quam *Sinæ Gin-San*, *Japones Nisi* vocant, plenariam descriptionem e libris *Sinicis*, & alia.

III. *Synchronismos Epocharum*, olim ac hodie usitatarum, ut & *Rerumpubl.* universi orbis antiqui non minus, quam moderni.

IV. *Commentarios Geographicos* in *M. Paulum Venetum*.

V. *Examen Monumenti Sinici* integrum.

VI. *Glossarii sacri & Profani residua*.

Atque ipse ibidem ait, præter *incompacta* non pauca, ducenta & quinquaginta *Volumina MSS.* se habere; suo labore, manu confecta: quæ possint eruditum usum afferre. Erant & alia ab eodem editioni parata. Sed quoniam eorum jam in vita ejus facta est mentio: opus non videtur, de iisdem plura commemorare. Hæc habe de *ANDREA MULLERO GREIFFENHAGIO*, *Benevole Lector*: ac frui ejus bonis: & nobiscum eorum, qui bene de literis bonis mereri student, memoriam tuere. Ac, si tibi videtur, fave etiam

Scribebam BEROLINI,

a. d. X. Kal. Octob.

A. O. R. CIO. DC. CIII.

Tuo

Sebastiano Gottofredo Starkio.

1660

167